



Heroicarvm Et Ecclesiasticarvm Quaestionvm Libri VI.

Sex libris prioribus universa Regalium, Iurisdictionis Ecclesiasticorum
Temporalis Et Constantinianae Donationis ratio discuritur ... contra
profanas & vanas cuiusdam Bodini novitates

De Satvrnino Permvttationis Beneficialis (Etiam Triangvlaris) - iure
Commentarius ad omnes Pontificum Constitutiones hûc pertinentes;
contra sceleratas & impias Ecclesasticorum beneficiorum mundinationes &
heriditarias quasi successiones

Epo, Boetius

Duaci, M.D.LXXXIIX.

230 Exemplum fraudis hic expectantibus factæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61721](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61721)

liberè non videatur ad Simoniam vitationem commodè posse applicari. Quorsus ergo seruiet, inquis, hic illa vox? Hùc seruiet, vt si coacta fuerit resignatio nõ sortiatur effectum permutatio, sed suum recuperet ille quidem beneficium qui metu resignauit, alter autem resignans qui vim vel metum intulit suum non recuperet beneficium sed id expectanti beneficio tanquam verè vocans conferatur in odium illius qui vim vel metum intulit quique propterea Constitutionis huius benignitate sit indignus. Hæc igitur interpretatio tum voci tum rei præsentis respondet, interpretatione Glossographi non voci sed soli rei congruente.

Ait Pont. *ac sine fraude.* Cuius rei dedimus exemplum superius in verb. *beneficia proximè vacatura expectent.* ex cap. vlt. s. de renunc. vbi Dauus quidam larum deceperat hiantem; sed quia fraus interuenerat, Expectanti succurrebatur. In permutatione fit exemplum, vt si beneficium quod proximè sperabatur vacaturum cum aliquo permutetur in fraudem expectantium; veluti, si quis iam iam ducturus uxorem permutauerit beneficium suum quod habebat opimum cum beneficiolo tenui, vt id scilicet uxore confestim ducta vacaret & expectantibus obtruderetur potius quàm opimum illud quod habebat.

Ait Pont. *aquitatem præferentes rigori.* De rigore scilicet verè vacat beneficium per huiusmodi resignationem etiam ex causa permutationis, & per consequens expectantibus aperitur.

230
Exemplum
fraudis hic
expectantibus
facta.

ritur locus: Æquitas verò suadet vt ita resignantes præferantur istis Expectantibus, quia non nisi permutationis causa resignarunt. Et hæc tenus quidẽ sunt omnia satis alba. Sed scrupulus oritur ex hac re maximus, quem nostros interpretes non sensisse, nedum sustulisse demeror equidem vehementer. videntur enim resignantes hi de iuris etiam rigore præferendi talibus Expectantibus, ita vt hac æquitatis benignitate Bonifaciana non magnopere videatur indignasse. Nam si tacita subsit conditio resignationi quæ sit ex causa permutationis, quæ admodum stipulatio dotis tacitam continet conditionem *si nuptiæ sequantur* d. l. stipulationem. *π.* de iure dot. si, inquam, tali resignationi subsit conditio hæc *si permutatio sortiatur effectum*, quare non ipso iure vel de iuris rigore præferentur hi resignantes istis expectantibus? vel quare fuit resignantibus his opus hac Pontificis æquitate? Puto respondendum, ratione rerum contractui subiectarum, non esse tam fauorabilem in iure permutationem beneficiorum quàm fauorabilis est stipulatio dotis: quia permutatio beneficiorum, tãquam commercium de rebus verè spiritualibus vel rei spiritali connexis, odiosa semper est; & ob id conditionis huiusmodi tacitæ non magnam habet Ecclesiasticum seu Pontificium hoc ius rationem; sed iuxta naturam resignationis omnis propriam verè vacat beneficium quomodocumque resignatũ eo quòd omnes pactio- nes atque leges & conditiones à rebus huiusmodi

231
Ipso iuris etiã
rigore cur non
præferantur
permutantes
Expectantibus

232
Beneficiorum
permutatio
quàm sit o-
diosa.